ratis postquam terruisti marem et eum fregisti. Et misce semper donec infrigidetur et cola totum et serva in vitro. *Pro albificatione olei ad faciendum oleum quod nominatur oleum*
Ego etiam dixi albificationem eius in libro operationis olei. Accipe oleum et muscum et quod tu acceperis de oleo bono et boni odoris et boni saporis et pone in olla. Et misce cum aqua calida quousque separetur oleum ab aqua. Deinde collige oleum desuper faciem aque cum coclear et repone. Et si fuerit album una vice bene. Et si non, iterum pone in aqua sicut prius et misce eum cum eo donec albescat. Et scias quod albificatur in hoc vitreum. Accipe vas vitreum magnum et concavum et facias foramen parvum in fundo eius quantitate similitudinis floris cimini. Et imple de oleo et aqua calida usque ad medietatem vasis vel usque ad duas partes eius. Deinde pone digitum super foramen et revolve super os vasis et agita vas cum oleo et aqua agitatione forti et dimitte per horam quousque separetur oleum ab aqua et natet oleum super aquam. Et tunc aufer digitum a foramine vasis quousque egrediatur aqua et incipiat egredi oleum. Et tunc oppilla cum foramen et pone oleum alia aqua calida super oleum et aqua sit prius et facias hoc quousque albescat oleum et serva voluntate tua. *Pro faciendo oleum [illegible]*
Oportet quod ponas aquam dulcem super et bullias primo una ebullitione [illegible] et cola. Et tunc pone super illud aquam dulcem donec eleuetur pinguedo eius. Et serva in vitro quousque pinguedo ablata fuerit. *Ad faciendum oleum de lateribus quod dicitur oleum philosophorum*
Ego dixi fundamentum eius in libro de oleis.
Accipe lateres rubeos novos quos aqua non tetigit et frange eos in frusta parva circa quantitatem ponderis [illegible] et pone eos in igne et dimitte ibi donec inflammentur solertissima inflatione et fiant candida. Deinde singulum eorum postquam fuerit extractum ab igne et subito submerge in oleo de olivis recentissimo quod in patina posuisti iuxta te vase. Et cum extractum fuerit extrahe ab oleo et cum hoc feceris de omnibus frustis laterum tere eos terra grossa et pone in vase vitreo vel in vasis vitreatis quod possit ignem sustinere vel in pluribus si habes plurima vasa. Et sit vasa ista ydonea facta cum suo receptorio et vocatur in vasa retorta quod sit rotunda et in inferiori parte sit extensa ad superiorem quemadmodum novimus illi qui intromittunt se in arte alchimie. Et cum posueris in eis de lateribus tritis sicut dixi usque ad duas partes vasis vel plus claude vasa cum suo receptorio habente nasum sicut et illud cum quo fit aqua rosacea. Et luta vas bene ad invicem cum argilla et pillo deinde confecta firmamento sapienter ita quod possit in ea ordinari tria vel iiijor vasa. Et cum desiccatum fuerit lutum quo lutata sunt vasa pone ea in furno vel in fornace secundum quod ordinatur vasa aque rosacee. Sed vasa ista igne multum debet esse medium. Deinde accende ignem sub vasis leuem a principio et postea auge